

ORATIO POLITICA

DE

STVDIIS PRINCIPVM IMPERII,

QVA

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE PRIN-  
CIPV AC DOMINO,

DOMINO

ERNESTO

AVGVSTO,

DVCI SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MON-  
TIVM, ANGARIÆ ATQVE VVESTPHALIÆ, LANDGRA-  
VIO THVRINGLE, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPALIS DIGNITATIS  
COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DY-  
NASTÆ RAVENSTEINII, SACRATISSIMÆ CÆSARÆ MAIESTATIS EXER-  
CITVS EQVESTRIS DVCI CVM IMPERIO, ET CVM LEGIONIS EQVITVM  
CATAPHRACTORVM TVM LEGIONIS PEDESTRIS CHILIARCHÆ, ITEM-  
QVE ORDINIS SAXONICI EQVITVM VIGILANTIÆ CONDITORI  
ET PRINCIPI, PATRI PATRIÆ INDVLGENTISSIMO,

*EIVSDEMQVE LECTISSIMÆ CONIVGI*

SENENISSIMÆ PRINCIPV AC DOMINÆ,

DOMINÆ

SOPH. CAROLINÆ

ALBERTINÆ,

MATRIMONII IVRE DVCI SAXONIÆ, NA-  
SCENDI SORTE MARCHIONI BRANDENBVRGICÆ  
ET DVCI PRVSSIÆ, RELIQA,

DE PRINCIPE HEREDITARIO  
CAROL. AVG. EVGENIO,

CALENDIS OCTOBRIS A. R. G. MDCCXXXV.

IN HANC LVCEM EDITO,

IN ILLVSTRI GYMNASIO SAXO-VINAR. PVBLICE

AC PIE GRATVLATVS EST

LAVRENTIVS REINHARDVS, GYMN. CON-RECTOR,

AD DIEM XIV. NOVEMBRIS EIVSDEM ANNI.

---

VINARIÆ, TYPIS EXSCRIPSIT JO. LEONH. MVMBACHIVS.

ORATIO POLITICA

DE

STVDIIS PRINCIPVM IMPERII

DOMINO

ERNESTO

AVGVSTO

DVO PAXONIAE CIVIS

SENENSIS PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

SOPHIAE CAROLINAE

ALBERTINAE

MATHEMONTIVRE DVO Saxoniarum

SCENDI SORAE MARCHIONIS ANDEBRVGE

PRINCIPIS HEREDITARIO

CAROL AVGVSTO

IN HONORE GYMNASIO SAXO-VIRAR. PABICE

ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR

ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR


ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR

ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR

ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR

ALBERTVS REINHARDVS, GYM. CON-LECTOR





*Illustrissime Excellentissimeque Mæcenas,*

*Domine Gratiſſime,*

*Aulæ ac reipublicæ præceres natalium ſplendore, rerum bene geſtarum præſtantia, & munerum amplitudine illuſtres,*

*Auditores caris honorum ornamentis diverſis que dignitatum inſignibus conſpicui,*

*Collegæ clariffimi,*

*tuque in ſpem patriæ effloreſcens in meliorum litterarum ſtudia incumbentis iuventutis corona!*

**M**eliorum litterarum ſtudia Principibus iuventutis, iis maxime, qui in ſpem regiminis nati ſunt, maximo eſſe tum commodo tum ornameto, prudentiſſimus quiſque dudum iudicavit. Idcirco celebris ille Aragoniæ rex Alphoñſus, teſte Panormitano, cum quidam optimas diſciplinas Principibus inutiles eſſe clamaret, *hanc non hominis eſſe vocem contendit, ſed bovis.* Quid? quod rex Galliarum Ludovicus XIV., qui, quantum mali defectus eruditionis pariat, magno ſuo expertus erat incommodo, Delphinum ſuum omnibus doctriſis impertiri iuſſit, quibus imbui debent mentes illorum, qui rempublicam aliquando debent capeſſere. Ab illis quidem Principibus parum emolumenti in regna & rempublicam redundabit, qui ſpeculativis tantum ſeu mere theoreticis diſciplinis ſuam conſecrarunt operam, cum vana de præ-

stantia vanarum subtilitatum opinio animos ipsorum inflat ventosa de se persuasione, ipsosque reddat difficiles ac mirabiliter morosos, & ad consilia strenue capienda minus idoneos: id Ludovici XI. exemplum in vulgus notum liquido confirmat. Verum enim vero illi Principes civium ipsorum ditioni subiectorum exoptatae salutis feliciter possunt consulere, qui practicis innutriti studiis, & ex pragmatica historiarum notitia prudentiae lumen adepti, tanto iudicii acumine praediti sunt; ut, quid reipublicae proficit, quidve noceat, statim queant discernere. Operae igitur pretium esse existimo, recte indicare, quibus doctrinis, & qua ratione, Princeps in spem imperii natus erudiendus sit. Idque hac potissimum oratione solemni peragendum mihi sumsi. Postquam enim Serenissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus, Dominus ERNESTVS AVGVSTVS, Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montium, Angariae atque Westphaliae, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Principalis dignitatis Comes Hennebergiae, Comes Marcae & Ravensbergae, Dynasta Ravensteinii, Sacratissima Caesareae Majestatis exercitus equestris dux cum imperio, & cum legionis equitum cataphractorum tum legionis pedestris chiliarcha, ordinis Saxonici *equitum vigilantiae* conditor ac princeps, patriae Pater longe clementissimus, ex lectissima excelsisque decoribus exsplendescente CONIVGE sua, Serenissima Principe ac Domina, Domina SOPHIA CAROLINA ALBERTINA, *matrimonii iure ac vinculo* Duce Saxoniae, *nascendi autem sorte* Marchione Brandenburgica & Duce Borussiae, reliqua, exoptatissimum filium, ac Principem iuventutis in spem principatus genitum, adiuvante divini Numinis gratia, auspicato suscepit; cui, cum sacro regenerationis lavacro tingeretur, memorabile nomen CAROLI AVGVSTI EVGENII inditum est: & collaudata mater patriae, finito decubiarum ex partu tempore, publica heri celebravit sacra; nullum profecto orationis publicae, in hac Musarum sede habendae, argumentum augusto & festo huic tempori convenientius magisque consentaneum censui, dum laetitiae, qua illustre Gymnasium exsultat, & gaudii, quod Musarum pecto-

pectora complevit, præcipuus esse interpretus iussus fui. Non sermo est de Principe animi corporisque facultatibus infirmo; sed de Principe & mentis dotibus & corporis robore insigni. Neque solum commonstrabo, quid Princeps discere debeat, sed etiam a quibus & quomodo instituendus sit. Ut autem vos, auditores pie colendi, mihi, de gravissimo argumento strictim dicturo, benevolas atque attentas aures præbeatis, est, quod omni pietate atque observantia rogo, obsecro atque obtestor.

Cum loquendi facultatem Princeps consecutus est, litteras, ac paullo post syllabas & voces Germanicas nosse atque colligere discat. Tum ad librum aliquem sacri aut historici argumenti perlegendum fiat progressio. Postea in iis, quæ Principi sunt cognitu necessaria, primum locum obtinet *catechetica theologicæ explanatio*, quæ prima est pietatis magistra. Discat igitur Princeps præcipua Christianæ religionis capita, quorum tanta vis est, ut viam ad veram virtutem pandant atque muniant. Crebrius simul scriptionis exercitium me non nolle Principi esse commendatum, unusquisque per se intelliget. Crescente iudicii acumine *naturalis theologicæ* synopsis, Germanica lingua conscriptam, accurate perlegat diligenterque consideret iuventutis Princeps, ut & atheismo & naturalismo & religionum indifferentismo obex mature ponatur, utque veræ religionis characteres & pædagogiam rationis ad evangelium perspiciat. Deinceps in pertractando *dogmaticæ theologicæ* compendio, patrio sermone accurate confecto, & in assidua sacrorum Bibliorum lectione operam suam præclare defigat, ut Princeps evadat veritatum salutarium gnarus & sincera pietate conspicuus.

Transacto sexto ætatis anno inchoanda est *cultura sermonis Romani*, ad ductum methodi facillimæ a præstantissimis Germaniæ viris dudum præscriptæ, qui tædio abstergendo & molestiæ levandæ multa eaque eximia pararunt subsidia. Ut autem iucunda studia miscantur severis; inter disciplinas in tenera etiam ætate a iuventutis Principe hauriendas iustum sibi locum vindicet *historia*, illa veritatis lux, vetustatis nuntia, vitæ  
-ilduq

B

que

que magistra. In qua ita versabitur Princeps, ut primo generalem ideam *historiæ universalis* memoriæ suæ fideliter imprimat, & deinde *de historia Imperii Romano-Germanici* recte perspicienda maxime sit sollicitus. Ad hanc vero addiscendam insigni delectatione ducetur, si *geographia* provinciarum Germaniæ, si *genealogia* serenissimarum familiarum illustrissimarumque, si denique insignium summarum gentium notitia, quam *heraldicam* vocare consuevimus, vocatæ fuerint in subsidium.

Quod si horæ institutionis ita distributæ fuerint, ut fastidium ab animo Principis feliciter repellatur; profecto facillimo res eo deduci poterit negotio, ut disciplinæ alumnus, augusto satus semine, sacram theologiam perspiciat, plerasque Romani sermonis difficultates superet, & locupletiores Germaniæ sibi comparet notitiam, priusquam duodecimum ætatis suæ annum egrediatur.

Quod ad *Gallicam linguam* attinet, quæ in aulis magnorum Principum miro fato principatum adepta est, finito decimo demum ætatis anno, & initio quidem quasi ludendo, operam suam illi dicere Princeps incipiat; utatur vero talibus huius linguæ magistris, quorum consuetudo nihil obsit virtuti & bonis moribus. Deinceps consummato duodecimo anno paullo severius in huius linguæ studium incumbat, donec Gallice fari sciat luculenter atque facunde.

Postquam Princeps duodecimum vitæ suæ annum feliciter superavit, animum etiam suum adpellet ad *philosophiam* & ad specialem regnorum ac statuum Europæ *historiam*: & utriusque studio quatuor horas per singulas hebdomades consecret: sic enim fieri poterit, ut binæ horæ relinquuntur diviniore scientiæ, & binæ elegantissimæ latinitatis; quæ admonitio etiam posteris annis valebit.

Quod ad *philosophiam* attinet, primum industriam suam collocet in consideranda *philosophia prima reali*, & in ea præsertim in contemplandis moralis doctrinæ fundamentis: nec non in perscrutandis diversis temperamentis moralibus, ut artem noscendi aliorum animos perspiciat, qua nunquam sine damno carebunt rerum  
publi-

publicarum moderatores; *verbalis* ex adverso philosophia prima, quam *ontologiam* nuncupant eruditi, parum emolumentum adferet Principi, qui aliquando ad clavum sedebit reipublicæ. Progrediatur deinceps ad Logicam seu *rationalem philosophiam*, quæ, in quantum Principi est necessaria, tribus plagulis potest comprehendere: satis enim habeat Princeps, si noverit gradus veritatis discernere, præiudicia cognoscere & evitare, veritatem perspectam demonstrare, & sobrium syllogismum in prima figura conficere.

Restat *moralis philosophia*, quæ futuro principatuum rectori tam est necessaria, tam utilis, ut vere mihi videatur posse contendere, illam ad onus regiminis sustentandum mentem Principum maxime reddere idoneam. Efficiet certe, ut Princeps *utile politicum* damnet, quod adversetur *injusto politico*; licet illud maximopere suadeant aulici ventosi, quos Galli *projecteurs* nuncupare solent. Hæc vero complectitur tum *iurisprudentiam naturalem* tum *politicam*: illa docet, quid pium, quid honestum, quid iustum, quidque decorum sit; hæc monstrat, quid prudentiæ præcepta suadeant. In tradendo Principi iure naturali, nullum adhuc vidi compendium patria lingua conscriptum, quod in præsentia possit commendari; ad veram autem politicam faciem utiliter præferunt *Julii Bernhaldi de Robr*, *Andræ Rüdigeri*, & *Jo. Adolphi Hofmanni* scripta egregia. Ut tamen ad historiam redeamus Europæ specialem, in quolibet regno seu statu cognoscendo Princeps discat, qualis sit in eo politicus & ecclesiasticus status: qualis status physicus provinciarum, qualesve divitiæ in eis contineantur: denique quales controversiæ illustres ex genealogia & heraldica moveri & componi possint.

Ineunte anno decimo sexto Gallicæ linguæ studio duæ hebdomadatim horæ ita subtrahantur, ut hæc per integrum triennium consecrentur studiis Mathematicis, nimirum *Arithmetica*, *Geometria*, *Architecturæ civili* ac denique *Architecturæ militari*. Sub initium anni ætatis sexti decimi quatuor horæ dicari debent repetitioni solidæ Juris Naturalis & Politicæ; quatuor vero horæ ita adhibeantur, ut *pragmatica historia Imperii*

*Romano-Germanici* utiliter discatur: quo in negotio egregius scriptis *Godofredi Langii, Adami Friderici Glafesi, & Jo. Davidis Kœleri* nihil potest esse utilius, nihil iucundius, nihil ad sublevandam attentionem accommodatius.

Principis animo tam præclare præparato, decimo septimo vitæ anno quatuor singulis hebdomadibus horas defigere debet Princeps in perspiciendo ipso *iure publico Imperii Romano-Germanici*: ex hoc certe studio eo uberius ad optimum Principem redundabit emolumentum, quod tunc demum vere perspiciet, quid sit Princeps Imperii. At eodem anno quatuor per singulas hebdomadas horæ dedicandæ sunt specialissimæ historiæ serenissimæ domus, ex qua suam traxit originem optimæ spei plenissimus Princeps. Sic exempli causa, Princeps Saxonix, in historiam Saxonicam tam diligenter incumbet, ut augustæ domus suæ fata sibi reddantur notissima. Ideo iucunda est *Knauthii* collectio historiæ Saxonice: & Principis attentionem egregie levabit *Glafesi nucleus historie Saxonice*.

Decimo octavo anno repetendo omnia Princeps in succum convertet & sanguinem: simul tamen *iura domus suæ specialia* sibi nota reddat, & feliciter atque cum iudicio memoriæ suæ imprimat. Haec vero ab eo, qui tabulario publico praeest, sub moderamine confiliorum principis, conscribantur in usum futuri patriæ rectoris. Finito anno decimo octavo Principes plerumque cogitant de peregrinationibus: & commodissimus ad has mihi nunc esset accessus; sed in praesentia de Principum peregrinationibus verba facere, nihil attinet, cum proxime sese oblatura sit occasio ex instituto de illis disserendi.

Tres igitur quotidie horæ severa habuerunt studia; quae tamen ne molesta fierent Principi, multa a prudentissimis viris iam dudum observata fuere subsidia. Verum enim vero etiam iucunda studia addiscere debet Princeps: atque si severa recte & utiliter misceantur iucundis, nihil erit, quod discendi cupiditatem in tenero Principis animo queat extinguere.

Jucun-





Jucunda studia Principi commendanda non minus differunt. Namque

1. *& animi causa & utilitatis ergo* discit *artem oratoriam & Poesin Germanicam*, si qua cupiditate naturali ad has feratur: & tunc moderator fludiorum morumque Principis magnam ab eo inibit gratiam, si compendium artis oratoriæ & poeseos, luculentis illustratum exemplis, ipsi exhibuerit; neque exiguam Principi adferet voluptatem, si quid *artis Musicae* discendi occasionem habuerit.
2. *delectationis & recreationis causa* discit Principes *artem commode saltandi, artem scienter equitandi, itemque artem scite pugillandi & digladiandi.*
3. *ornamenti & splendoris gratia* discet Princeps *artem venatoriam*, comparabit sibi Italicæ linguæ facultatem, & adsuescat cum gravitate sedere in equo.

Et sic credo primam orationis partem me non minus diligenter quam breviter esse persecutum. Pergam nunc ad partem orationis alteram.

Disquirendum iam erit, a quo & quomodo instituendus sit Princeps. Prioribus institutionis annis unus sufficit, qui & ingenium formet Principis & mores eius moderetur atque gubernet: exceptis exercitiorum corporis magistris; qui ut piis moribus sese conspicuos præsentent, ne vitii aliquid attrahat disciplinæ alumnus tantæ spei, curare debet aulæ Marschallus seu prætorio Principali præfectus.

Is vero, cuius fidei tantum pignus commissum est, meo quidem iudicio, debet esse cultor iurium, sincera tamen theologiæ notitia instructus, & rerum historicarum, philosophicarum, & iuridicarum notitia ita ornatus, ut palmam plerisque in provincia facillime præripiat. Raros esse eiusmodi viros, non nego; sed hinc inde tales feliciter reperiri, cognitum habeo atque exploratum: & fortasse recensere possem exempla, nisi res esset plena invidiæ.

C

A fa-



A facultatibus ingenii tam nobilis doctoris pergo ad dotes voluntatis. Debet esse vir emendatæ voluntatis, ut ad ingrediendam pietatis virtutisque viam ipse auctor queat existere. Profecto si omnia optime se habeant in eo, qui tam gravi publicæque utilitatis pleno muneri præficiendus est, animum vero moresque prodat profanos; ocyus ab aula esset amovendus: a morum enim magistro corrupto quid fructus redundabit ad Principem, cuius quotidiana cum eo est consuetudo?

Deinceps debet esse vir gravis: ne ridiculos interdum elegantioribus aulæ incolis præbeat lusus; quos derisio consequitur & contemptus. Tanta potius gaudeat auctoritate, ut, quod dicit, quod vetat, sapientiæ plenum iudicetur: sic enim admirationem sui injiciet aliis; quod ipsi variis in casibus magno erit usui.

Præterea perspicuitatis dono ornatus sit oportet: sine hoc cum nemo docentium quidquam efficiat; is profecto in primis tam nobili dono carere haud poterit, qui Principis intellectui mederi, qui Principis ætatem fingere, qui Principem educare debet, ut respublica plurimum capiat emolumenti. Denique sibi cavere debet a fastu, qui plerumque vellicat homines doctrinæ famam adsecutos: nihil honori ipsius derogari patiatur, hoc enim esset ipsi damnosum; at modestiæ & humilitati ita studeat, ut neminem contemnere, sed cuivis inferire velle, videatur.

Cum iudicii acumen in Principe sese prodiderit, & *naturalis & dogmaticæ theologiæ* capita a theologorum antesignano instillentur Principi, nisi hic nimis gravibus semper districtus sit negotiis. Quantum ponderis tanti viri institutio habeat in pectore tenerioris Principis, intellectu est facile: & quindecim, forte octodecim, mensibus, credo integro biennio, tam præclarum, tam fructuosum, tam sanctum opus potest perfici feliciter; at repetitio sacræ theologiæ redit postea ad doctorem ordinarium, id quod iam supra me monuisse memini.

Finito decimo quinto Principis anno, more ubique fere consueto, ordinario ingenii Principis formatori additur *præfectus morum* equestri dignitate, eique regundæ adolescentiæ Principis cura fere soli committitur, quo-



quorundam tantum studiorum cura ad ordinarium præceptorem devoluta. Hic eques præcipue illustribus studis debet esse excultus, & morum elegantia inprimis insignis. Iste morum præfectus, & ordinarius studiorum moderator, partiuntur ultimis annis lectiones Principi necessarias.

Quædam tantum subijcio monita & amoris & consilii plena. Pietas morumque integritas ante omnia Principi est instillanda. Generoso pectori molestum est, si aliqua libertatis suæ parte privetur; qua de re libertas, quanta potest, Principi est indulgenda. Augustæ prolis magister tempus diligenter observet, & occasiones venerit, quibus illa libenter videatur sanæ doctrinæ haurire capita. Ante institutionem ordinariam exhilaranda est mens Principis, ut cum gaudio percipiat salutare doctrinas.

Ad TE, Serenissime ERNESTE AVGVSTE, pater patriæ multo clementissime, mea sese convertit oratio. Quod diu multumque a Numine cœlesti expoposcimus: cuius incredibili desiderio & TV & cives tui adhuc flagrarunt: & quod caput rei est, unde publica temporum felicitas, ac Serenissimæ Celsissimæque gentis TVAE æternitas dependet; id tandem, divina favente gratia, felicissime obtinuimus. Discussus est orbitatis metus. PRINCEPS HEREDITARIUS natus est TIBI, natus est lectissimæ CONIVGI TVAE, natus est aulæ, natus est TIBI subiecto Principatui universo. Quot & quantæ gratulationes adhuc factæ sint, quot & quantæ publici gaudii significationes adhuc editæ fuerint, non ignoras, Princeps Optime.

Percipe etiam preces, quas ille pro salute recens nati PRINCIPIS iuventutis ad DEVM mittit, qui sinceram pietatem suam & constantissimam fidem nulla non occasione vel in primis declarat atque testatam facit. DEVS TE diu seruet prosperum, felicem, ac fortunatum, & consilia TVA fortiter suffulciat: sic florebit pietas, sic vigebit iustitia, sic gaudebunt cives felici ac fausto omnium rerum cursu. DEVS adsit Serenissimæ CONIVGI TVAE, ut fruatur omnibus veris deliciis, & sæpius gignat Principes exoptatissimos.

Excrescat dulcissimus FILIVS TVVS, CAROLVS AVGVSTVS EVGENIVS, in ornamentum Germaniæ, in Saxoniae solatium, & in spem patriæ, ut eius virtute non minus immortalis sit ævi ipsius gloria, quam felix & sempiterna Heroum Saxo-Vinariensium propagatio.

Audiat DEVS vota, quæ nunquam non pro felici educatione TANTI PRINCIPIS nuncupabo. Faxit supremum Numen, ut PROLE hac AVGVSTA excrescente publica simul temporum felicitas crescat atque confirmetur.

**D I X I**



# ORATIO POLITICA

DE

## STVDIIS PRINCIPVM IMPERII,

QVA

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE PRIN-  
CIPU AC DOMINO,

DOMINO

# ERNESTO

# AVGVSTO,

NLÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MON-

Æ ATQVE VVESTPHALIÆ, LANDGRA-  
MARCHIONI MISNLÆ, PRINCIPALIS DIGNITATIS

IE, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DY-  
II, SACRATISSIMÆ CÆSARÆ MAIESTATIS EXER-

CVI CVM IMPERIO, ET CVM LEGIONIS EQVITVM  
TVM LEGIONIS PEDESTRIS CHILIARCHÆ, ITEM-

CONICI EQVITVM VIGILANTIÆ CONDITORI  
I, PATRI PATRIÆ INDVLGENTISSIMO,

*QVE* LECTISSIMÆ CONIVGI

Æ PRINCIPU AC DOMINÆ,

DOMINÆ

# CAROLINÆ

# BERTINÆ,

II IVRE DVCI SAXONIÆ, NA-  
MARCHIONI BRANDENBVRGICÆ

DVCI PRVSSIÆ, RELIQVA,

# CIPE HEREDITARIO

# AVG. EVGENIO,

OCTOBRIS A. R. G. MDCCXXXV.  
IN HANC LVCEM EDITO,

GYMNASIO SAXO-VINAR. PVBLICE  
AC PIE GRATVLATVS EST

*REINHARDVS*, GYMN. CON-RECTOR,  
M. XIV. NOVEMBRIS EIVSDEM ANNI.

EXSCRIPSIT JO. LEONH. MUMBACHIVS.

